



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens quatuor Tractatus  
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine decimusquartus, de  
Iuramento, & Adiuratione. Secundus, de Voto. Tertius, & charior Authori,  
de statu Religioso. Quartus, de vitiis oppositis Religioni

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

Qualiter Nouitiatus peragendus sit, vt licita, & valida sit professio. punct.  
11 [i.e. 12].

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76572)

iurisdictionem, quatenus ad finem probationis, & bonum nouitij regimen in via probationis necessarium est. At nullo modo est necessarium ad supradictum finem, quod Prælatus regularis concedere possit nouitio dimissorias ad ordines, imò ex tali concessione si generalis esset non leuia inconuenientia euenirent. Ergo dixi *seculo speciali privilegio*, quia Societati scilicet concessum est privilegium, vt ex licentia suorum Prælatorum possint nouitij ordinibus insigniri sicut & professus; habetur verbo *communicatio* §. 5. & notauit Suarez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16. num. 17. Sanchez lib. 6. sum. cap. 10. numero 22. Vbi aduertunt satis probabile esse eam facultatem professis concessam ad nouitios extendi; tamen in privilegio expressè non extendatur. Vnum tamen debet esse certum, posse nouitium tum ab Episcopo originis ordinario, tum ab Episcopo sui domiciliij. Variant tamen Doctores, an censendus sit Episcopus domiciliij ille Episcopus loci, in quo monasterium residet, an ille in cuius diocesi nouitius domiciliu habebat. Suarez dicto cap. 16. num. 17. & tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 12. num. 9. Verus censet esse Episcopum, in cuius diocesi nouitius ante ingressum religionis domiciliu habebat; quia assumptione habitus non mutat priorem statum in statum religiosum. Ergo nec domiciliu. Item quia nouitius dum in probatione existit, non habet animum firmum perseverandi, & perpetuò in monasterio manendi, sed probandi, an sibi expediat. Ceterum probabilis censet cum Sanch. lib. 4. de voto cap. 39. num. 20. & lib. 6. sum. cap. 10. num. 21. Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 4. numer. 5. Episcopum loci; in quo monasterium existit esse Episcopum sui domiciliij; quia verè nouitius assumptione habitus domiciliu mutat; liquidem absolutum animum habet perpetuò manendi, casu quo religio non displiceat: quod sufficit ad domiciliij acquisitionem: omnibus enim denuò domiciliu acquiritibus ea voluntas inest ibidem perpetuò manendi dum nihil aduersum euenit, aut commodius non occurrat; & tradit idem Suarez sibi contrarius tom. 4. de Relig. tract. 8. libro 2. capite 17. numer. 14. & 15. Neque ad horum ordinum susceptionem facultas regularis Prælati necessaria est; cum in hac actione nouitius non ipse, sed Episcopo subiciatur. Verum esto necessaria non sit facultas, ad decet maximè, vt conferatur Prælato regulari ordinatio fiat; aliàs præbet nouitius sufficientem causam, vt eum Prælatus à religione expellat, cum in re tam graui eius consensum contempserit: Sic Sanch. lib. 6. sum. cap. 10. num. 22.

9. Septimò videntur deobligati nouitij à gabellarum solutione; quia sunt verè persone Ecclesiasticæ, & religiosæ, & privilegio canonici, & fori gaudentes. Sic tradit Molina 3. tom. de iustitia disp. 67. n. 2. Gregor. Lopez leg. 4. tit. 7. part. 1. nu. 1. Sanchez alius relatus lib. 6. cap. 10. num. 16. Layman lib. 4. sum. tract. 5. c. 4. num. 4. vers. quia & alius, tamen si Lafate de decima venditionis, c. 19. n. 50. Manuel Rodrig. q. reg. 10. 3. quest. 74. art. 9. & alius relatus Gutier. de gabellis lib. 7. q. 95. numero 29. Contrarium sentiant leui fundamentò ducti, quod bonum suorum dominium retineant, ad excoùmque redire possint. Quod certè non impedit, quin illa bona sint bona persone Ecclesiasticæ, & religiosæ. Illud verò quod subdit Lafate d. n. 50. cui consentit Gutier. dicta quest. 95. num. 37. religiosus scilicet Societatis I. E. S. V. non professos debere gabellam, si procurator monasterij eorum bona vendat, est omnino à veritate alienum, tum quia verè religiosi sunt, sicut professi, vt definiuit Greg. XIII. in sua bulla Ascendente. Tum quia esto bonorum suorum dominium retineant, non tamen vsum; cum non possint liberè, sed pro voluntate suorum superiorum dispendere; & ita ipsemet Lafate in addit. ad dictum cap. 19. num. 5. sententiam retractauit, vt bene notauit Sanch. *supr.*

## PUNCTUM XII.

Qualiter nouitiatus peragendus sit, vt licita, & valida sit professio.

**T**ota difficultas est in explicatione Textus in cap. ad Apostolicam de Regularibus in c. non solum. cap. constitutionem eodem tit. in c. in c. 15. Trident. sess. 25. de Regularibus. In his enim cauetur neminem ad professionem admitti posse, nisi post annum probationis. Quocirca examinandum est primo an hic annus sit omnino necessarius, ita vt in nullo casu professio aliter facta valeat; Secundo; an debeat esse integer, & continuus; Tertio à quo tempore computandus sit; Quarto an in monasterio, & cum habitu nouitiorum, aliisque circumstantiis sit peragendus.

## §. I.

Sine annus probationis simpliciter necessarius in omni religione.

## S V M M A R I V M.

1. Annus probationis semper fuit necessarius ad licitam professionem.
2. Spectato Trident. est necessarius, ita vt nec renunciarì possit.
3. Aliqui ab hoc decreto excipiunt coningem matrimonij non consummato, sed non admittitur exceptio.
4. Alij excipiunt professum transeuntem ad aliam religionem. Sed reprobat.
5. Excipiuntur commendatarij monasteriorum, que capita sunt, ac primates ordinum.
6. Excipiuntur milites ordinum militarium.
7. Moniales ordinis B. Dominici in mortu articulo constituta.
8. Succedit monasterium in bonis sic professi, tamen alij contra sentiant.

1. **A**nnus probationis semper fuit ad professionem necessarius, vt deciditur, cap. ad Apostolicam de Regularibus, ita vt illo omisso absque consensu tum nouitij, tum religionis professio nulla esset iuxta cap. ad nostram, de Regularibus, & tradit Suarez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 12. num. 4. Sanchez lib. 5. sum. cap. 4. n. 19. circa finem. At ex consensu nouitij, & religionis iusta causa intercedente poterat annus probationis omitti, vt habetur dicto cap. ad Apostolicam de Regularibus. Solum in religione minorum, & prædicatorum hæc renunciatio annalis probationis petita non fuit, cap. non solum de Regularibus in 6. & aliter admissus suspenderetur ipso facto à receptione quouilibet illius ordinis ad professionem, aliisque penis, quæ solent fratibus pro culpis grauib. imponi, subiiciuntur. Quod decretum post modum extensum est ad omnes religiones mendicantes, cap. constitutionem eodem tit. in lib. Verum cum in supradictis decretis non inueniatur irrita professio ex consensu nouitij, & religionis ante exactum probationis annum, ascendendum esse valuisse. Sed non obinde professi obligari manebant illi religioni, sed religioni in genere, vt colligitur ex d. cap. non solum, & tradit Glossa, ibi verbo, vestro & ex cap. constitutionem, & ibi Glossa verbo obligat. Sanch. lib. 5. sum. c. 4. n. 8.

2. At attentò nouo decreto Tridentin. annus probationis ita ad professionem necessarius est in quacunque religione tam viroium, quam mulierum, vt illo omisso professio facta nulla sit, nullamque inducens obligationem ad alicuius Regularis, vel religionis, vel ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus vt dicit Tridentin. Quæ verba indicant sanè exclusam esse renunciationem probationis annæ petmissam in cap. ad Apostolicam de Regularibus. Alias nihil nouum Tridentin. statueret, frustrancaque esset eius constitutio. Et ita tanquam certam in iudicando, & consulendo tradit Nauarr. lib. 3. consil. tit. de Regular. cons. 33. in 1. edit. & consil. 62. in 2. num. 5. Manuel. 2. tom. sum. c. 6. n. 10. & tom. 3. regul. quest. 95. art. 7. Azor. 1. p. instit. moral. c. 4. q. 9. Suarez. tom. 3. de Relig. li. 5. c. 12. sine n. 5. Sanch. lib. 5. sum. c. 4. n. 19. Lessius lib. 2. c. 4. dub. 7. n. 59. Barbosa 3. p. de potestate Episcop. alleg. 101. nu. 17. & 31. Garcia n. p. de benef. c. 9. n. 6. tamen Lessius & Sanch. indicent contrarium esse probabile. Quod in praxi non citò, vbi concilium Trident. receptum est.

3. Difficultas est; an ab hac regula generali aliqui casus excipiantur? Primus excipi potest coniux, qui matrimonio non consummato ad religionem transit, qui tunc intra bimestre videtur non solum posse, sed teneri profiteri, cap. ex publico de conuersatione coniugator. Ne coniux in seculo manens teneatur diu expectare matrimonij dissolutionem. Sed iure optimo hanc exceptionem communiter Doctores non admittunt, vt videre est apud Sanch. lib. 1. Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 59. in 2. edit. Basilius Legionens. lib. 2. de matr. cap. 9. num. 2. Ioan. Gutier. de matr. cap. 5. c. 11. Ratio est, quia Trident. generaliter loquitur, & nullum præbet fundamentum huius exceptionis. Neque ex cap. ex publico de conuersatione coniugator. Colligitur. Nam illud bimestre non conceditur coniugi ad profectum, sed ad deliberandum, an sibi expediat religionem ingredi, vt dicti Doctores firmant, ne videatur correctus Textus in cap. ad Apostolicam de Regularibus, tum religionis. Concedens probationis annum tum in fauorem nouitij, tum religionis. Adde esto bimestre ad profectum concessum esse, t. censetur Trident. decreto correctum esse, cum nulla specialis ratio in coniuge reperitur, ob quam debeat nouitiatus breuiari, imò ob statum matrimonij assumptum longiori indiget probatione. Quod si ante exactum annum probationis coniux habitum dimittat, aliâque religionem ingredi velit, cogit

coqui potest a iudice peremptorio termino constituto, ut in ea post nouitatus annum proficiatur, vel ad coniugem redeat; eo quod videtur dolose agere, & animo fugiendi coniugis consortium ex vna religione in aliam transire; Sic docent Sanch. alius relatis lib. 2. de matrim. disp. n. 9. Ioann. Gutier. de matrimonio c. 5. n. 3. Basilus Legionensis dicto cap. 9. sine num. 10.

4. Secunda exceptio est de professis transcurrentibus ad aliam religionem, qui cum iam satis religionis asperitatis experti sint, non videntur comprehendi sub decreto Tridentini, exigentis annum probationis, sed poterunt ex consensu ipsorum, & religionis professionem intra annum emittere; Sic docent Henric. lib. 13. de excomm. cap. 40. num. 2. in comment. littera O. Sotibus in consensu. prinit. Mendicant. verbo nouitatus post 2. notabilem §. sed an requiritur. Verum hæc exceptio omnino reprobanda est, ut illam reprobant Nauart. lib. 3. consil. tit. de Regular. conf. 49. & 53. in 1. edit. & conf. 61. & 62. in 2. edit. Azor. lib. 12. in his moral. c. 14. q. 15. Manuel Rodriguez regul. quest. tom. 3. q. 15. ar. 11. & tom. 2. sum. c. 6. n. 11. Nicol. Garcia 11. p. de benef. c. 9. n. 7. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 37. n. 47. & lib. 5. sum. c. 4. n. 12. Ratio est manifesta; quia cito ille religiosus expertus facit religionis asperitatis; ac non illius religionis, quam denotat suscepit, & multo minus ipsa religio mores ipsius religiosi. Nulla ergo ratio firma est, ob quam sub regula illa generali Tridentini non comprehendatur.

5. Tertia exceptio est de commendatariis monasteriorum, quæ capita sunt, ac primates ordinum, qui debent intra sex menses solemniter profiteri in illo ordine, aut commendæ cedere. Habetur expressè in Trident. sess. 25. c. 21. de Regularibus; & tradit Henric. lib. 13. de excomm. c. 40. nu. 2. comm. littera O. Sanch. alius relatis lib. 5. sum. cap. 4. n. 5. Gonzales regul. 8. cancell. Glossa 8. n. 88.

6. Quarta exceptio est de militibus ordinum Galatanae, Alcantarae, D. Jacobi, & D. Ioannis, qui secluso proprio statuto possunt professionem facere non præmissis nouitatus anno. Tum quia Tridentini, solum videtur comprehendisse religiosos in communi viuentes, strictam paupertatem, castitatem, & obedientiam professentes, quales non sunt supradicti equites militarium ordinum. Tum quia ob eorum prærogatiuam, & obsequium, quod Ecclesie præstant, eam ab hostibus defendendo, non videntur comprehendi in decretis generaliter latis pro religiosorum reformatione, sed debet eorum fieri specifica mentio, & ita tradit referens esse decisum à sacra congregatione. Azor. 1. p. lib. 13. c. 4. q. 2. Nauart. lib. 3. consil. tit. de Regularibus conf. 23. n. 10. in 1. edit. & conf. 10. n. 10. in 2. Gonzal. reg. 8. cancell. Gloss. 8. n. 55. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 44. n. 8. & lib. 5. sum. cap. 4. num. 17. Barbosa in remiss. Concil. ad c. 5. sess. 25. de Regularibus. Dixi secluso proprio statuto. Nam milites S. Ioannis statutum habent, ne possint professionem facere ante 16. annum completum, & an annum probationis exactum, ut testatur Sanch. & Barbosa supra & Flamin. lib. 6. de resignat. quest. n. 10.

7. Quinta exceptio est pro monialibus ordinis B. Dominici, quæ possunt in mortis articulo professionem emittere ante completum nouitatus annum, si tamen expleuerint ætatis 16. Sic concessit Pius V. in quodam breui incipiente summa Sacerdotij cura edito 23. Augusti 1570. cuius tenorem ex Pafafello refert. Manuel. Rodrig. quest. regul. tom. 3. q. 15. ar. 6. testaturque non esse reuocatum à Gregor. 13. in sua constitutione incipiente in ranti. Et consentit Thomas Sanch. lib. 5. sum. c. 4. num. 16. Barbosa 3. p. de potestate Episc. alleg. 101. num. 52. Ludouic. Miranda. tom. 1. Man. Pralat. quest. 22. ar. 10. Mouentur quia solum reuocantur quæ ad statum, & regimen monialium Pius V. statuerat contra Trident. decreta. Hoc autem privilegium non videtur statum, & regimen monialium spectasse, cum supponantur moniales statim ab statu huius sæculi discessuras. Et præterea quia Gregor. solum videtur reuocasse privilegia Pij V. forum externum spectantia. At hoc privilegium non tam forum externum, quam internum spectat. Hæc lenientia tanquam pia, & fauorabilis, & gratissimorum Doctorum autoritate firmata amplectenda est, tametsi rationes non sint adeo firmæ. Quid enim magis statum monialium spectare potest, quam professio, quæ statum ipsum constituit? Et quid forum externum magis respicere potest, quam privilegium, quod absolute absque limitatione forti interni concessum est, tametsi concessum sit pro consolatione animæ.

8. Subdunt tamen Man. Rodr. Ludouic. de Miranda, & Barbosa locis allegatis. Monasterium non succedere in bonis sic professæ decedentis in præiudicium venientium ab intellectu. Quia Pontifex solum concessit hanc privilegiam professionem ad decedentium consolationem, ne merito professæ carerent, indulgentiæque & iubilæum lucrari possent, & non ut monasterium succederet, præcipue cum hoc privilegium non tam pro foro interno, quam externo concessum sit. Cæterum verius censet cum Thom Sanch. l. 5. sum. c. 4. n. 16. Ferd. à Castro. Sum. Mor. Pars III.

Monasterium succedere, quia illo professio veta est, & Moniales sic decedentes verè professæ decedunt, sicuti si anno expleto professæ fuissent. Quod vero Pontifex non intenderit expressè in huius privilegij concessione, quod monasterium succederet, in causa non est, quominus de facto succedat quia monasterij successio non pendet ex fine, quo motus est Pontifex ad hoc privilegium concedendum, sed ex ipsius privilegij concessione, valorque professionis emissa.

§. II.

An probationis annus debeat esse integer, & continuus.

S V M M A R I V M.

1. Debet esse integer, & continuus.
2. Item completus de momento ad momentum.
3. In anno bissextili ille duplex dies computatur pro vno.
4. Debet esse continuus.
5. Tridentino privilegium minorum computandi nouitatum, ex duplici parte interpolatum reuocari videtur.
6. Quæ interruptio sufficiat, ut nouitatus discontinuatur.
7. Dispositio habitus animo mutandi statum interrumpt.
8. Item si à monasterio ex eo animo fugiendi subiectionem.
9. Qualiter amentia, & furor interruptant nouitatum.
10. Debet nouitatus cum professione continuari.

1. Debere annum probationis integrum esse manifestè colligitur ex Trid. d. sess. 23. c. 15. de Regul. Dicente nullam esse professionem illius, qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit. Qui vero ante completum, & integrum annum professionem emittet, minore tempore quam per annum statet in probatione.

2. Dabium tamen est; an ad hanc integritatem necessariò requiratur, ut computatio fiat de momento ad momentum, ut si suscepti habitum nouitatum de prima Ianuarij hora sexta post meridiem, non possit anno sequenti ante illum diem, & horam profiteri? Negant graues Doctores asserentes sufficere diem esse inceptum: Sic Stephan. Gratian. disceptat. forens. cap. 413. num. 22. August. Barbosa 3. p. de potest. Episc. allegat. 101. num. 22. Et moueri possunt, quia in fauorabilibus dies inceptus pro completo habetur leg. quæ rate ff. de restam. & leg. in usucapionibus ff. de usucapionibus. Sed nouitatus fauor est, quod religioni apud sit, & religioni, quod nouitatus recipere possit. Ergo, Nihilominus censet verius non sufficere diem esse inceptum, sed debere esse completum de momento ad momentum. Quia Trident. annum nouitatus professioni præmittendum statuit, tum in fauorem religionis, tum religiosi; ne temerè, & inconsideratè religiosi obligaretur ad subeundas religionis asperitates, & religio ad regendum, & alendum religiosum, sed utrique maiori consideratione procederet. At quoties tempus aliquod designatur ad subeundam maturius, & prudentius obligationem completum esse debet; quia id fauor est, & beneficium: Satisque colligitur, ex leg. 3. §. minorem ff. de minoribus, ibi minorem adhuc dici vltimo die anni 25. donec hora natiuitatis decurrat, quia ante illam horam nondum compleuit 25. annos, sed à momento in momentum tempus expectari debet. Ergo similiter in nostro casu, in quo similiter agitur de obligatione subeunda firmiter absque remedio relaxationis. Secus verò esset, si tempus designaretur non in fauorem, sed in odium, ut contingit, cum designatur tempus, quia ante illud non putatur quis satis idoneus ad actiones sibi viles, & honorificas, ut ad condendum testamentum, ad recipiendos ordines, & beneficia. Et ita requiritur annum nouitatus completi de momento ad momentum tradunt Sanch. lib. 2. de matr. disp. 24. num. 22. & lib. 5. sum. cap. 4. n. 4. Basil. Legion. lib. 9. de matr. cap. 9. numer. 6. Lessius lib. 2. de iustit. c. 4. dub. 7. num. 59. vel. quarto. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. c. 15. num. 1. Eman. Rodrig. tom. 3. quest. regul. 9. 15. ar. 4. Nullo tamen modo necessarium est alium diem expectare, quia nec ex Trident. decreto, neque aliunde id colligitur, ut bene obseruat, Sanch. Basil. Suar. Rodrig. supra.

3. Hinc deducitur in anno bissextili illum duplicem diem computandum esse pro vno, ita ut si incepisti nouitatum 24. Februarij, te non posse sequenti anno bissextili 24. Februarij priori emittere professionem, sed necessariò debere alterum 24. expectare. Tum quia in hac computatione regulariter tibi fauetur, ut maiori aduertentia, & consideratione religionem suscipias. Tum quia in computatione temporis communis sensus, & stylus obseruandus est, dum aliud non exprimitur. At constat in anno bissextili duplicem diem pro vno computari, bisque repeti, ergo sic computandus est: Et ita tenent in præsentibus Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 24. num. 22. & lib. 5. sum. cap. 4. nu. 4. Eman. Rodrig. tom. 3. quest. regul. 9. 15. ar. 4.

art. 4. Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 6. num. 59. Bonac. de Sacram. disp. 8. quæst. unica punct. 5. n. 15. Basil. Legio lib. 9. c. 9. n. 5. tamen contrarium sentiant Syluest. Henric. Riccius. quos refert, & sequitur Barb. alleg. 10. n. 20.

4. Addendum item est non solum integrum, & completum annum probationis expostulari, sed etiam continuum. Nam ex communi modo loquendi, quoties ex aliquo die designato tempus computandum est continuum debet esse; alias nihil in contractibus, & obligationibus certum, & determinatum esset, ut bene aliis relictis probant Gutierrez. can. quæst. lib. 5. cap. 12. q. 2. 4. Anton. Gomez tom. 3. var. c. 1. n. 3. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 4. cap. 15. num. 5. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 31. Sed Trident. dicta sess. 24. c. 15. de Regular. A die suscepti habitus annum probationis designat. Ergo continuus esse debet. Quod à fortiori procedit, quando hæc continuatio credit in fauorem illius, ob cuius causam tempus designatum est ut in præfenti contingit; siquidem regulariter nouitio, & religioni fauorabilis est, ut probationis annus continuus sit, quam interpolatus: Sic enim exactius nouitius religionis asperitatem probat, & religio nouitij mores, & ita tradunt pluribus relictis Sanch. lib. 5. sum. cap. 4. num. 31. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 15. num. 3. Lessius, lib. 2. c. 41. dub. 7. n. 59. August. Barbosa 3. p. de presb. Episc. alleg. 101. num. 23. Ludouic. de Mirand. 1. p. Man. Prælat. quæst. 2. art. 4. conclus. vni.

5. Subdit tamen Man. Rodrig. tom. 3. quæst. Reg. q. 15. art. 8. Ex privilegio Iulij 2. religioni minorum concessum esse, ut nouitius compleri possit ex duplici parte interpolata, neque per Trident. hoc privilegium reuocatum esse, sed illo uti posse cum religionem minorum iusta causa intercedente, tum reliquis religionibus communicantes in privilegiis. Quia Trident. solum expresse petit integrum nouitiatum annum; quod vero debeat esse continuum sub opinione positum est; relinquit ergo locum privilegio. Cæterum verius censo cum Sanch. lib. 5. sum. c. 5. numer. 35. Hoc privilegium Trident. decreto reuocatum esse. Quia si hoc privilegium firmum persisteret, ferè nullius utilitatis esset Trident. decretum statuens iuxta communem sententiam nouitiatum debere esse continuum, cum omnes penè religiones illo uti possent ob privilegium communicationem eis concessam.

6. Difficultas autem est, que interruptio sufficiat, ut nouitiatum annus discontinuetur? Nauar. lib. 3. consil. tit. de Regular. consil. 32. alias 42. Triduanam interruptionem dicit esse sufficientem, tacite insinuans minorem esse insufficientem, eaq; de causa consil. 33. alias 45. Dixit nouitium breui tempore latrantem in monasterio animo fugiendi non interrompere nouitiatum, quia fuit interruptio momentanea, & non confidatilis. Et Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 7. n. 59. Dixit paucorum dierum interpolationem nouitiatum non impedire, quia non est moralis interruptio, neque impedit, quominus nouitius religionis asperitatem experiatur, & religio nouitium.

7. Sed dicendum est depositionem habitus absque animo mutandi statum non interrompere probationem bene tamen depositionem habitus perfectam quantumvis breuissimam animo relinquendi statum assumptum. Ratio vtriusque partis est, quia illa est vera, & propria interruptio status, qua cessat status assumptus, sed ex sola depositione habitus absque animo mutandi statum non cessat status probationis assumptus, alias cessaret, si deponeres habitum, ludi, fornicationis, alteriusve peccati causa liberius committendi. Ergo ex hac dispositione non interruptitur nouitiatum. Econtra vero cessat status probationis, si habitum dimittas animo relinquendi viam interceptam, seu fugiendi obedientiam iugum: Si quidem nouitiatum consistit in assumptione habitus animo religiosam vitam experiendi: Et ita tenet Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 15. n. 5. & seq; & ex parte consentit, Sanch. lib. 5. sum. cap. 4. n. 32. & 33. Debet tamen hæc dimissio habitus esse perfecta, ut censetur ab statu nouitij recedere: quod dixerim propter duplicem causam probabilem à Suar. lib. 5. de ingressu religionis cap. 15. n. 7. adductam in quibus non videtur esse dimissio perfecta, & completa; videlicet si Prælati uolens dimittere nouitium, habitu religioso illum exueret, & seculari indueret, & antequam à monasterio expelleret, sententiam mutasset. Idem si nouitius animo relinquendi statum, & à monasterio fugiendi latitaret secularibus vestibus indutus, & antequam fugeret, penitisset, non censetur plenè, & perfecte statum deserere. Quia hæc desertio in his casibus monasterij egressu consummati debebat.

8. Deinde dico te interrompere nouitiatum, si è monasterio ex eas animo fugiendi subiectionem, tamen habitum non dimittas; quia nouitiatum non tam consistit in materia illa habitus deperatione, quam in animi, & corporis preparatione, ut religio tuos mores probet, & tu religionis asperitatem. Quæ preparatio cessat eo egressu, & probatio redditur impossibilis. Ergo nouitiatum interruptitur.

9. Sed quid dicendum de fatore, & amentia; an valeat interrompere nouitiatum? Et quidem si amentia breui tempore daret, qualis esse solet ex aliquo morbo excitata, omnes

conueniunt praxi ipsa restante nouitiatum non interrupti, nec suspendi. Quia in communi hominum ætimatione reputatur, ac si eo tempore dormiret. At si amentia extraordinaria esset, ut si per mensem duraret, censet Sanch. lib. 5. sum. c. 4. num. 55. nouitiatum non interrupti, sed suspendi, ac proinde repetendum non esse, sed suppleendum tempus amentia. Quam sententiam quoad priorem partem censo veram. Non enim videtur posse nouitiatum interrupti, quin status religionis inchoatus cesset, ac cessare non potest nisi ex voluntate nouitij, vel Prælati, cum ex vtriusque voluntate fuerit celebratus ingressus. Ergo horum voluntate cessante, ut verè cessat, nouitiatum interrupti non potest. Posito autem, quod nouitiatum non sit interruptum, mihi difficile est illud tempus computandum non esse. Quia consilium solum expostulat ad professionem integrum nouitiatum annum, & ex amentia nec nouitiatum soluitur, nec discontinuatur. Ergo tempus amentia necesse computandum est. Neque obstat eo tempore nec nouitium posse religionem probare, nec religionem nouitium. Quia id promittit ex quodam accidenti extrinseco, & non ex statu, sicut si nouitius ex voluntate superioris nauigat, vel fortuito captiuus existeret, non obinde videtur nouitiatum suspendi, esto non possit religionis asperitatem probare, neque religio ipsius mores. Quapropter eo causa amentia non suspenditur probationis status; bene tamen illius ritus, & exercitium, quia illa passiuus nouitij exercitatio à superiore virtualiter approbatur, seu toleratur.

10. Maior dubitatio est; an nouitiatum continuatio debeat esse vsque ad professionem? Negant Syluester verbo religio 5. q. 4. Gregor. Lopez leg. 3. tit. 7. part. 1. Rodrig. tom. 3. q. 112. q. 15. art. 10. ad finem. Sanchez plures referens lib. 5. sum. cap. 4. numero 34. Quia nulli cauetur hæc cum professione continuatio. Quocirca si nouitius expleto integro nouitiatum anno nolle profiteri, sed religionem deserat, vel ipsa religio eum expellat, quia non putauit satis idoneum, si postea ipse penitentia ductus ad religionem redeat, vel ipsa religio consilium mutans illum velit recipere, professio (inquunt dicti Doctores) validè, & licitè concedi poterit, dummodo res tum ex parte religionis, tum ex parte nouitij non sint notabiliter mutata. Cæterum verius eicedo debere nouitiatum cum professione continuari, neque posse nouitium dimissum à religione, aut ipsam religionem dimittentem profiteri, quin deuo integrum nouitiatum annum peragat. Quia prior habitus susceptio, & probatio dimissionis extincta fuit. Ad consilium ad professionis valorem integrum annum post susceptum habitum in probatione requirit: Ergo post illam secundam susceptionem integer annus probationis esse debet, & ita tenet latius probans, Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. c. 15. n. 8. & que in sum.

## §. III.

A quo tempore nouitiatum computandus est.

## S V M M A R I V M.

- 1 Computatur ab eo puncto, quo habitus nouitium ad probandum religionem admittitur, & religio nouitium probare intendit.
- 2 Debet esse in ætate pubertatis.
- 3 Hoc non est à Trident. immutatum.

1. Certissimum est ab eo tempore computandum esse nouitiatum, à quo nouitius habilis, & in legitima ætate constitutus à legitimo superiore admittitur ad religionis difficultates probandas: quia in hac legitima admissione consistit religionis ingressus: ea enim futurus religiosus cum religione conuenit, ut ipse religionem probet, & religio ipsum. Sic Suar. tom. 3. de Relig. l. 5. cap. 3. num. 6. Neque obstat huic religioni Trid. sess. 25. c. 15. de Regularibus. Quatenus verat nullius professionem fieri nisi per annum post susceptum habitum in probatione steterit, tacite indicans probationem à susceptione habitus incipere, neque antea incipere posse. Non inquam obstat, quia Trident. loquitur de ingressu in nouitiatum prope communiter contingit, non tamen secundum quod absolute fieri potest: Certum enim est quoties quis ad probationem admittitur habitu illius religionis pro nouitius destinato indui, non tamen tolli quin admitti possit absque mutatione proprii habitus, & sine illius religiosi habitus susceptione. Consilium autem enumerat probationis initium à signo illo clariori frequenter contingenti, esto non simpliciter, & absolute necessario.

2. Dixi ab eo tempore nouitiatum computandum esse, à quo nouitius habilis, & in legitima ætate constitutus à legitimo superiore admittitur, ut satis indicarem ætatem aliquam determinatam esse ad nouitiatum peragendum. Quæ autem hæc sit? Communis sententia testatur esse pubertatem completam, nempe in viris 14. & in feminis 12. completis annis.

annos, neque malitia suppleat aetatem: Sic tenet Gloss. *elem. fin. de Regular. verbo aetate per textum ibi Syluest. verbo religio 2. quaest. 12. & religio 3. quaest. 2. & relig. 5. quaest. 1.* Gregor. Lopez leg. 3. verbo in anno titul. 7. part. 1. Sanchez aliis relatis lib. 5. sum. cap. 4. num. 22. Quia ante pubertatem nemo censetur idoneus ad religionis asperitatem probandas, praecipue quae vorum castitatis respiciunt. Neque obstat, quod ante illam aetatem quis recipitur ad religionem, quia recipitur legitima aetate probandus.

3. Solum est dubium, an Trident. decreto hoc immutatum sit. Nam ex illo videtur colligi probationem incipere non posse ante 15. annum completum, siquidem Trident. sess. 25. cap. 15. de Regularibus. Statuit neminem ad professionem admitti posse ante 16. completum annum, & praemisso integro nouitatus anno, & cap. 16. decreti, ut finito tempore nouitatus superiores nouitios, quos habiles inuenierint, ad professionem admittant, aut in monasterio eiciant. Supponit ergo consilium omnes finito nouitatus anno in legitima aetate ad professionem esse debere, siquidem admittendi sunt, vel eiciendi, si alii habiles, vel inhabiles existunt; ob solum enim defectum aetatis eici non deberent: Sic videtur sentire Syluest. verbo religio 5. quaest. 3. Angel. verbo nouitius quaest. 7. Ceterum verius sentio ex Trident. decreto non mutari nouitatus statum. Nam esse Trident. disponit finito nouitatus anno nouitios ad professionem admitti, vel de religione eici, hoc subintelligitur, nulla legitima causa intercedente differendi professionem, ut multis comprobatur. Rodrig. tom. 3. regul. quaest. 9. 7. art. 10. & 20. & tom. 2. sum. cap. 8. num. 3. Sanchez lib. 5. sum. c. 4. n. 21. Quando autem nouitius annum 16. non completit, legitima causa adest professionem differendi, si autem adest, si morbo aliquo laboraret, vel in probatione non satisfecisset: Sic tenet Nauarr. lib. 3. consil. tit. de Regular. consil. 20. alias 30. num. 1. Azor. 1. p. lib. 12. c. 4. quaest. 9. Rodrig. tom. 3. quaest. regular. quaest. 15. art. 2. Sanchez aliis relatis lib. 5. sum. cap. 4. numer. 22. Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 7. n. 59. in principio. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. c. 13. n. 8. Barbosa 3. parte de potestate Episcop. alleg. 101. n. 3. 1. & alij.

§. IV.

Quae conditiones seruandae sunt ut nouitatus legitime fiat.

S V M M A R I V M.

1. Debet esse mutua traditio inter religiosum & religionem, ut se inuicem probent.
2. Non est necesse fieri hanc probationem in monasterio.
3. Non per quemlibet à monasterio furuium egressum, & vagationem cessat nouitatus.
4. Bone potest esse nouitatus absque habitu nouitiorum gestatione.
5. De triplici conditione quaestio esse potest. Prima de mutuo consensu, & traditione. Secunda de probatione ipsa in monasterio. Tertia de gestatione habitus religionis assumenda.

1. PRIMA conditio omnino necessaria est nouitati, imò in ea solum essentia nouitatus consistit, ut ex §. praecedenti, num. 1. colligitur. Dispositus enim nouitius esse debet à religione probari: Sic tanquam aptus admittendus, vel ineptus repellendus, & austeritatis illi probatis liberè eligat religiosum statum, si sibi expedire iudicauerit. Quod adeo verum esse censeo cum Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 11. 4. à num. 5. Ut quoties ex parte nouitij, vel religionis cessauerit licet consensus, & dispositio probandi, probationis status omnino cessat. Cessat autem hae voluntas, & dispositio eo ipso quod nouitius ad professionem admittitur, esto inualidè admittus fuerit: Quia professionis admisione cessat religio à libertate nouitij probatione, siquidem illum tanquam probatum admittit, & nouitius cessat à religione probanda, credens egredi ab illa non posse. Quae itaui probationis omnino repugnant.

2. Secundam conditionem de probatione in monasterio non desunt Doctores, qui dicant necessariam esse; quia alii non valebit nouitius asperitates religionis experiri; neque religio nouitij mores: Sic tenet comparatione monialium Rodrig. tom. 3. quaest. regul. 9. 15. art. 10. circa finem.

Ceterum omnino tenendum est, nouitatum peragi posse extra monasterium de licentia superioris; quia ad nouitatus essentiam sufficit si nouitius ex vi suae voluntatis regi, & gubernari à superiore paratus sit. Quod extra monasterium praestare potest, tamen nullam religionis asperitatem experiarur, ut contingit in eo, qui immediatè post habitus susceptionem in lectulum decidit, nullaque religionis speciale exercitium fecit, sed non obinde definit esse nouitius,

quia esto nouitatus institutus sit, ut nouitius religionis difficultates experiatur, & religio mores nouitij, & ad huiusmodi finem conueniat, vel necessarium sit vitam degere in monasterio; quia tamen hae actualis, & exacta experientia non praecipitur, ea de causa ad nouitatum simpliciter necessaria non est, & ita tenet ex decisione Cardinalium Nauarr. lib. 3. consil. tit. de Regular. consil. 41. & consil. 42. alius 31. Azor. 1. p. lib. 12. c. 2. q. 8. sine Lessius lib. 2. c. 41. dub. 7. nu. 59. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. c. 14. n. 13. Sanch. lib. 5. sum. c. 4. n. 27. & 28. Barbosa 3. p. de potest. Episcop. alleg. 101. num. 27. & plures apud ipsos.

3. Maior difficultas, si extra monasterium nouitius vagerur absque licentia superioris praecipue habitu dimisso, an eo ipso eius nouitatus cesset? Nauarr. Azor, Lessius, Sanch. Barbosa, aliique communiter supponere videntur. Siquidem dicunt ea ratione non cessare nouitatum, cum extra monasterium de licentia Abbatis nouitius degit; quia fictione iuris in monasterio degere censetur, ceterum dicendum exitimo non per quemlibet è monasterio egressum, & euagationem nouitatum cessare, nisi fortè fiat cum animo dimittendi subiectionem, vel nisi vagatio ita diuturna sit, ut moraliter vera dimissio, & desertio subiectionis intelligatur: Sic docet Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. c. 14. num. 14. & constat ex dictis supra §. 2. Ratio est quia exiens furuiuè à monasterio animo implendi libidinem, & non animo dimittendi subiectionem paratus, & dispositus es corripi, & puniri si deprehendaris. Ergo ex illo egressu nouitatus non cessat, cum non cesset voluntaria subiectio, & punitioni ferenda dispositio.

4. Tertia coaditio de habitus nouitiorum gestatione in religionibus habitum proprium habentibus, specialem difficultatem habet. Tum quia est specialem religionis, indicij specialisq; illius asperitatis. Tum quia Trident. professionem irritat illius, qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit. Suscipitur autem habitus, ut gestetur. Ergo illius gestatio est omnino necessaria: Sic docent Gloss. c. fin. verbo habitus 17. quaest. 2. & c. super eo de Regular. Syluest. verbo religio 5. q. 5. Azor. 1. p. lib. 2. c. 2. q. 9. Sanch. c. 4. num. 29. Lessius lib. 2. c. 41. dub. 7. nu. 59. vers. 3. Ludou. Mirand. in manu pral. 1. p. q. 2. 2. art. 6. concl. unica Barbosa 3. p. de potestate Episc. alleg. 101. num. 29. & alij apud ipsos. Nihilominus verius sentio cum Suar. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 14. n. 10. 11. 12. & 15. sine. Non esse hanc habitus gestationem de nouitatus substantia Nam ut §. 3. relinquatur probatum admitti quis potest ad nouitatum, quin saecularem habitum mutet, c. constitutionem de Regularibus in 6. Et semel admittus potest incidere in lectum, & sic toto nouitatus anno perseuerare, quia habitum regularem induerit. Ergo gestatio habitus regulati non est de substantia nouitatus. Deinde hae habitus gestatio esse potest necessaria, ut nouitius hanc religionis asperitatem experiatur, vel ut à saecularibus, & professis illius religionis distinguatur. Sed ex neutra harum rationum requiritur, ergo necessaria non est. Et quidem ob experiendam illam asperitatem expostulari non potest; siquidem satis commune est apud Doctores non esse opus nouitio omnes religionis asperitates experiri, sed sufficere si sub obedientiae iugo existat, ut tenent alii relatis. Nauarr. lib. 3. consil. tit. de Regularibus consil. 42. alias 32. Rodrig. tom. 3. 99. regul. 9. 15. art. 10. Sanch. lib. 5. sum. c. 4. n. 28. & 82. Suar. tom. 3. de Reli. lib. 5. c. 14. n. 13. 14. & 15. Ob distinctionem autem à saecularibus, & à professis illius religionis minus requirit potest. Quia à saecularibus aliis pluribus viis distingui potest, quam habitus regularis gestatione, praecipue cum tritum proverbium sit habitum non constituere monachum, sed professionem. A professis vero frustranea est distinctio. Tum quia in pluribus religionibus nulla est nouitiorum, & professorum in habitu distinctio. Et esto aliqua esset, potest nouitio honoris causa habitus professorum concedi, quin professio concedatur, neque obinde nouitatus cessabit.

PUNCTUM XIII.

An nouitatus in Societate IESV diuersam conditionem habeat à nouitatu aliarum religionum.

S V M M A R I V M.

1. De conditione aetatis nulla est in Societate diuersitas.
2. Integer annus requiritur, nec aliter valet professio, nec incorporatio per vota biennij.
3. Ex constitutionibus aliis a dicitur.
4. Potest in eo Praepositus Generalis dispensare ad professionem, ad vota tamen Scholasticorum dubium est.
5. Resoluitur posse.
6. An Provincialis possit admittere nouitios ad vota Scholasticorum.